

Cap. 17. Parricidium eafde mae caetera  
 crimina probationes admittere. Iudi-  
 ces comperta maleficia cito punire de-  
 bere Suetonium folium, manifesti Par-  
 ricidij reos culleo infui non poffe, nifi  
 proprio ore crimen confiterentur, di-  
 xiffe. Ex Cicer. Quint. Apuleio & alijs  
 contrarium contare. Parricidij accu-  
 fatum, abfolvi, ad Reipub. honorem  
 quodammodo pertinere. 201. 202. 203. 204. 205.  
 Cap. 18. Nulla caufam inveniri poffe que  
 Parricidium excuset, optimis exemplis  
 probatur. Qui Parricidium Parricidio  
 vindicant, potius dimitti, & amplari  
 quam abfolvi. Orestis & Alceionis  
 parricidia etiam fi in patrum vltionem  
 facta furij, punita. Ciceronis (& alio-  
 rum de caufis furiarum, que Parrici-  
 das exagitant verba. Oriftem Dijs in  
 Areopago fedentibus abfoluam. Par-  
 ricidium etiam involuntarium extra  
 pœnam non effe. Involuntarij homici-  
 dij, qua fuerit pœna apud Græcos; Fu-  
 riosum fi in furore Parricidium com-

omiferit inuicem effe. Quid fi poffe de-  
 lictum efficiatur furiofus. 203. 204. 205.  
 Cap. 19. De Parricide teftamento & fuc-  
 ciffione. Vltimo fu plicio damnatos  
 olim nec legitimum, nec teftamenta-  
 rium heredem habuiffe. Hodie fecus.  
 Eorum qui ante damnationem deciffif-  
 sent, nifi fibi mortem inferrent, facino-  
 ris confcienti, fuffiffionem fuiffe. De  
 his qui fibi mortem confiverint pluri-  
 ma. An fifeus, an Parricide filij, vel alij  
 agnati ad bona interfecti que ad Parri-  
 cidam effent perventura accittantur.  
 Varia in hac quæftione Doctorum fen-  
 tentia referuntur. 204. 205. 206. 207.  
 Cap. 20. Parricidij crimen publicum effe.  
 Ideo eius accusationem cuiuslibet popu-  
 lo datam. Parricidij Romæ Jedit. Parri-  
 cidij accusationem nullo temporis fpa-  
 tio finire, licet reliqua crimina vicen-  
 nio extinguantur. Paul. in l. fin. de parri-  
 cid. exp. fitus, nova eius interpretatio  
 cum Cuiacio relata. Quæ tamen rei-  
 citur, & comunis magis probatur. 201.

LEGES, QUÆ IN HOC LIBRO EX PROFESSO DECLARANTVR,  
 ET EXORNANTVR.

Lex Pœna pehult, D. ad l. Pomp. de parric. Modest. lib. xij. Pandect. Lex vnica, C. de ijs qui parent. vel  
 liber. occiderunt. Imp. Conftantinus A. ad Verin. Vicarium Aricæ. Iuftinianus in Galia deinde. Inftitut.  
 de publicis iudicijs.

ALPHONSVS NONVS COGNOMENTO SAPIENS;

*En la Ley doze, titulo oclavo, partida feptima.*

SI el padre matare al fijo, ò el fijo al padre, ò el abuelo al nieto, ò el nieto al abuelo;  
 ò a fu vifabuelo, ò alguno de ellos a el, ò el hermano al hermano, ò el tio a fu sobri-  
 no, ò el sobrino al tio, ò el marido a fu muger, ò la muger a fu marido, ò el fuegro, ò la  
 fuegra a fu yerno, ò a fu nuera, ò el yerno a la nuera, ò a fu fuegro ò a fu fuegra, ò el pa-  
 draftro ò la madrafta a fu entenado, ò el entenado al padraftro, ò madrafta, ò el afor-  
 rado al que lo aforró. Qualquier de ellos que mate a otro con armas, ò con yervas pa-  
 ladinamente, ò encubierto, mandaron los Emperadores, è los Sabios antiguos que efte  
 atal que fizo eſta enemiga, que fea acotado publicamente ante todos, è de fi que lo me-  
 ran en vn faco de cuero, è que encierren con el vn can, è vn gallo, è vna culebra; è vn  
 ximio, è despues que fuere en el faco con eſtas quatro beſtias, cofan la boca de el faco,  
 è lancelos en la mar, ò en el rio que fuere mas acerca de aquel lugar do acaefiere.  
 Orosi dezimos, que todos aquellos que dieffen ayuda, ò conſejo, porque alguno mu-  
 rielle en alguna de las maneras que de fuſo diximos, quier fea pariente de el que aſi  
 muere, quier eſtraño, que deve aver aquella meſma pena que el matador. E aun dezi-  
 mos, que fi alguno cõprare yervas, ò ponçõna para matar a fu padre, è deſque las ovie-  
 re compradas fe trabajaffe de gelas dar, maguer non gelas pueda dar, nin cumplir fu  
 voluntad, nin fele aguiffaffe, mandamos que muera por ello, tambien como fi gelas  
 ovieffe dado pues que non fino por el. Orosi dezimos, que fi alguno de los otros her-  
 manos entendiere, ò fupiere que fu hermano fe trabaja de dar yervas a fu padre, ò de  
 matarlo en otra manera, è non lo apercibiere dello, pudiendolo fazer, que fea deſter-  
 rado por cinco años.

D E  
PARRICIDARVM  
SVPLICIO, ET  
PERSONIS QVIBVS  
IMPONITVR:

LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

*In quo praefationis loco, plurimis, & Iurisconsultorum, & bonorum Auctorum non vulgaribus testimonijs, Reip. salutem in peccetendis soncibus versari, docetur.*



**I**RANQVILLVM, pacatumque omnis bene constitutæ Reipublicæ statum; exhortatione præmiorum, & pœnarum metu seruari, vt vulgaria Vlpiani, & Horatij (1) testimonia præteream, eleganter Aristotel. (2) verbis suadetur, hæc duo efficacissima media esse, vt cives boni efficerentur, tradentis. Et Democriti, qui (vt Plinius (3) refert) duos tantum Deos esse constituebat, Pœnam, & Beneficium, quæ etiam pro Dijs apud Assyrios colebantur. Inde optimè Cicero: (4) *Summum* (inquit) *rectè factis maiores nostri præmium, plura peccatis pericula esse voluerunt;* & cum lasciuientis naturæ vitio, homines in peiora frequen-

(1) Vlp. in l. 1. D. de iust. & iure. Horat. 1. eccl. 1. 6. 11.  
(2) Arist. 1. Eth. cap. 5.

(3) Plin. lib. 2. nat. hist. c. 7.

(4) Cicero. pro Cluent.

tius laborantur, iustissimis sanè de causis, in his Iurifconsul-  
torum responsis, & Imperatorum rescriptis, quæ omnes  
vbique gentes non minus quàm ea venerantur *Pythia, quæ  
tripode ex Phæbi, lauroque profatur*, tot passim cõstitutiones  
sparsæ reperiuntur, quibus severissimis pœnis, interdum  
etiam & levioribus (prout delicti, ac maleficij qualitas tulerit)  
fontes puniri; illique, qui à recto virtutis tramite devia-  
runt, coerceri iubentur. Nihil enim adversus petulantiam, &  
iniustitiam magis, quàm castigatio, & animadversio conve-  
nit, & vt capitalibus pœnis, exilijsq; quibusdam, quemad-  
modum Vlp. (5) scribit, communis boni gratia civitates  
purgentur. Sic enim & Caius ait: (6) *Pœnas ob maleficia sol-  
vi, magnam rationem suadere*. Et Paulus: (7) *Disciplina pu-  
blica vigorem exposcere, vt illicite facta competenti supplicio  
vindicerentur*. Sciebat hoc celebris ille Atheniensium legisla-  
tor Draco, qui vel eos, qui otij damnati forent, capite mul-  
ctandos, suis legibus sanxerat, quas non immeritò Dema-  
des orator (vt Cælius & Alex. (8) commemorant) non atra-  
mento, sed sanguine scriptas esse dicebat, & Aristotel. (9)  
non hominis, sed verè Draconis esse, asseverabat. Sciebant  
& antiquissimi homines, qui vt Plato (10) refert, Rhada-  
mantum (quò magis peccandi licentiam cohiberet) noxios,  
& criminis alicuius reos in Tartarum, quò delictorum me-  
ritas pœnas penderent, tradebant dimittere. Sciebant de-  
nique prisci illi, & omni semper memoria recolendi He-  
roes, qui diversis gentibus Nomophylaces extiterunt, be-  
nèque, ac rectè vivendi tradiderunt normam; quorum in  
tabulis nemo est qui nesciat, varijs suppliciorum generibus  
delinquentium audaciam compesci, eosque, qui statutam ac  
præfinitam legibus metam transilirent, puniri. Vnde legis-  
latores illos pro Dijs habitos, & tanquam caelestia numina  
veneratos, commemorant plures: (11) quippe cum lex ni-  
hil aliud sit, vt Demosthenes à Martiano relatus (12) scri-  
bit, quàm *Inventio quædam, & donum Dei, correctioque volun-  
tariorum, & non voluntariorum peccatorum*, eiusque virtus  
Modestino, & Quintiliano (13) testibus, vt plurimum in  
puniendo consistat. Hinc Plato: (14) *Qui iniusta*, inquit,

(5) Vlpian. in l. cõ-  
gruit. 13. de offic.  
præs.

(6) Caius in l. si à  
reo. 71. §. fin. de fi-  
dei iuss.

(7) Paul. in l. lici-  
ratio. 9. §. quod illi-  
cite. D. de publi. &  
vectig.

(8) Cæli. Rhodig. lib.  
11. antiq. lect. c. 3.

Alex. genial. 3. c. 5.

(9) Arist. lib. 2.  
Rhet.

(10) Plato in Rhet.

(11) Cæli. Rhodig.  
lib. 18. ant. lect. c.  
19. Mateacius, de  
via & rat. iur. lib. 1.  
cap. 23.

(12) Martiani. in l.  
2. de legibus.

(13) Modest. in l. le-  
gis virtus, de leg.  
Quintil. 7. iust. orat.  
cap. 6.

(14) Plato in Rhet.

perpetrat, pœnas luit, & qui rectè puniunt, iustitià quadam freti puniunt, pœnâque iusta iustiores efficit, tanquàm medicina quadam improbitatis. Quò respiciens Cicero, (15) malorum punitionem, necessitatem potius, quàm voluntatem esse (quod Plato (16) etiam ipse antea docuerat) his elegantissimis verbis ostendit: *Quemadmodum in corpore, si quid huiusmodi est, quod reliquo corpori noceat, vri, ac secari patimur, vt membrorum aliquid, potius quàm totum corpus intereat, sic in Reip. corpore, vt totum saluum sit, quidquid est pestiferum, amputetur.* Neque minus eleganter Clemens Alexan. (17) ita in eandem sententiam scribit: *Lex eorum, qui ei parent curam gerens, ad pietatem in Deum instituit, & dicit ea quæ sunt facienda, & propulsat omne peccatum; pœnas imponens his quæ sunt mediocria; cum autem viderit aliquem ita se habere, vt videatur immedicabilis, vt potè qui ad extremam provehatur iniustitiam, tunc aliorum iam curam gerens, ne ab ipso corrumpantur, tanquàm aliquam partem à toto corpore rescans, sic eum, qui est huiusmodi, occidit saluberrimè.* Est enim (vt Ioan. Pontifex ait) (18) *compescenda malorum audacia, vt saltem pœna formidine retrahantur à noxijs, sicque boni sectando virtutem, meliores effecti, non cogantur cum illis perire;* & in puniendis sceleribus, non solum delinquentis ipsius qui pœna afficitur, sed reliquorum quoque contemplatio adhibenda, vt ex Philosophorum schola Alexand. Neap. advertit. (19) Nam delictum, quo impunitius, eo effrænatus fit: atque adeò ne serpat insitum illud, & radicatum in natura malum, & peccandi consuetudine in ferocem, & belluinam erumpat audaciam, curandum est maximè (quod Pontifices aiunt) (20) *vt quos Dei timor à malo non revocat, temporalis saltem pœna cohibeat à peccato.* & vt alma civilis iustitia, delinquentes coerceat, & illecebram veniæ, & impunitatis spè, à Republica exterminet: civitatèsque, ac populos, ceu Herculeam clava, Lernæis nocentium monstris, expurget, & liberet. *Malum enim (vt ait Cassiodorus) (21) cum perseverat, augetur, & remediabile bonum est in peccatum, accelerata correctio.* Vnde nostrarum legum auctores maximè conducere inquit, (22) *ne delicta maneat impunita, &*

(15) Cicero in 8. Philippic.

(16) Plato lib. 9. de legibus.

(17) Clem. Alex. lib. 1. Stromat.

(18) In extravag. de pœnis.

(19) d. lib. 3. cap. 5. in princ.

(20) In cap. vt clericorum, de vita & honest. cleric.

(21) Cassiod. lib. 3. variar.

(22) In Lita vulnerat. 53. ad. I. Aquil. l. eum qui nocetem. 8. de iniur.

(23) Tull. 3. orat. in Catilin. & in orat. in Pison.  
 (24) Paul. in l. si poena. Callistr. in l. capitalium, §. famos. D. de poen.  
 (25) Senec. lib. 1. de ira. circa fin.  
 (26) Quintil. declam. 274.  
 (27) Moyses Deuter. 1.  
 (28) Doctores, post glo. in l. cum probatio. C. de prob.  
 (29) Psalm. 57.  
 (30) Plut. in Lacon.  
 (31) Sallust. in Jug.  
 (32) Ambros. 1. officio. *Faciant alia, quae tradit Ioan. Nevix. in Sylva nup. lib. 1. à n. 71. Guillel. Bened. in c. Rainur. verb. mortuo. el 1.*  
 (33) Salvian. lib. 7. de gubern. Dei.

non immeritò M. Tullius (23) crudeles in patriam appellat iudices, qui facinorosis hominibus delicta condonantes, eos, & alios ad similia, vel maiora audendum, movere videntur. Poenae enim vt Paulus, & Callistr. (24) tradunt, in emendationem, & terrorem hominum inductæ sunt, & Seneca testis, (25) *Nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur.* Quo respiciens Quintilianus, (26) inquit: *Quoties crucifigimus noxios, celeberrimæ eliguntur via, ubi plurimi commoveri hoc metu possint. Omnis enim poena non tam ad delictum pertinet, quàm ad exemplum.* Atque ita vt Moyses (27) admonuit, iudices in poenis irrogandis, nihil pertimescere debent, quia iudicium Dei est; non enim lex, non iudex delinquentes punit, (vt & Iuris Doctores (28) declarant) sed ipsum delictum publica satisfactione culpam expiat, & tanquam debitum dissolvit. Quinimo, vt Divinus Psalter (29) testatur, Deus ipse personam iudicis peragit. Quamobrem, non absque ratione Lacedæmonij cuiusdam apothegma laudatur, (30) apud quem, cum Charillus rex summis laudibus efferretur; quomodo, inquit, bonus est, qui ne in malos quidem acerbus sit? Verendum est namque, ne (vt tradit Sallustius) (31) *ignoscendo malis, bonos perditum eamus*, & vt ait Ambrosius: (32) *Nocentes absolvendo innocentes tradamus exitio.* Nam vt inquit Salvianus: (33) *Potestas quippe magna, & potentissima, quæ inhibere scelus maximum potest, quasi probat debere fieri, si sciens patitur perpetrari.*

CAPVT SECVNDVM.

*Quæ deterioris exempli sunt, vindicari severius debere. Poenas non tam in delinquentium vindictam, quàm in aliorum metum & emendationem induci. Indè interdum & animalia puniri; & novis facinoribus nova supplicia excogitari, atque adeò leges merito in parricidas ferire.*



OLENT autem, & debent interdum quorundam malefactorum supplicia exacerbari, quoties nimirum, multis personis grassantibus, exemplo opus sit, vt disertè Claud. Saturninus scripsit. (1) Nam cum

(1) Claud. in l. aut facta. 16. §. si. D. de poen.

ex Iuvenal. (2) sententia, *Dociles imitandis in pibus, ac pravis omnes simus*; & ut Cicero inquit, (3) *duo nos maxime moveant, exemplum, & similitudo*, quæ perniciosis exemplis hominum animos, & mentes inficiunt, exemplaribus quoque supplicijs, & gravioribus pœnis eradenda, & averruncanda fuerunt: & omni studio nitendum, ut (quod olim in decimatione fiebat.) (4) metus & horror omnibus injiciatur, pœna verò ad paucos perveniat. Vnde passim apud Terentium sæviores istæ animadversiones exempla vocantur, quæ eadem Græci, ut Cælius (5) tradit, *παράδειγμα* dicunt: & apud nos quotidie, hanc etiam ob causam, mortua iam delinquentium cadavera, quibus tamen, ut ille dixit, terram ignibus misceri, nihil interest, in cineres verti, vel secata in frusta, vulturibus mandenda mandari videmus, ut metu similis pœnæ, in se reliqui tam immane spectaculum veriti, ab eisdem facinoribus arceantur. Nam ut rectè ait Optatus Milevit. (6) *Ut terreatis vivos, malè tractetis & mortuos*, & Quintil. (7) *Non satis putaverunt maiores eas pœnas constituere, quas possit aliquis excipere in vita: multos magis tangit sepultura: ad cogitationem post se futurorum, plerique gravius moventur*. Cuius rei cum multa litterarum monumentis testimonia prodantur, illud tamen pro cunctis adduxisse iuvabit, quod ex historijs Græcanicis Agell. & Leonic. (8) de Milesijs virginibus retulerunt, quæ à furore, quo percitæ voluntariam mortem oppetebant, non desistere prius, quam Milesiorum decreto, quæ postea se suspendio conficerent virgines, cum eodem laqueo, quo essent præinctæ, nudato corpore, per fori medium iussæ palàm efferrî, alias tam inhonesti funeris pudore, ne sibi postmodum violentas manus injicerent, terruerunt. Adde bruta quòque animantia, licèt ratione, & inferendæ iniuriæ potestate carentia, (9) non solum ut facti memoria aboleatur, ut nostratibus legibus cõtinetur, (10) sed ut commissi etiam sceleris pœnas persolvant, & quod magis est, ut alijs timorem injiciant, aliquando puniri solere. Nam Mosaico iure, (11) iumentum si hominem interfecerit, lapidibus occidi iubetur, & Guido Pape (12) se vidisse porcum furcâ suspensum scriptû reliquit, quòd

(2) Iuven. Saty. 174.

(3) Cicero lib. 2. de orat.

(4) Cicero lib. 1. de orat.

(5) Cælius lib. 1. de orat.

(6) Optat. Milevit. lib. 6.

(7) Quintil. de declam. 274.

(8) Agell. lib. 15. noct. Artic. cap. 10.

(9) Leonic. de var. hist. lib. 2. c. 18. & alia tradens Menoch. de arbit. cas. 285.

(10) I. l. D. si quadr. pauper.

(11) Bald. in l. 2. n. 36. de iurisd. c. hoc ipsum 33. q. 11. c. mulier. 15. q. 1. Mant. singul. 15. n. 3.

(12) Levit. cap. 21 Exod. 20.

(13) Guid. Pape, decis. 238. Pet. Herod. lib. 3. decr. tit. 16.

(13) *Plin. lib. 8. naturalis hist. cap. 16. cuius verba refert & explicat Lipsius 1. de Cruce c. 6.*

(14) *Forner. lib. 1. select. cap. 10.*

(15) *Agell. lib. 20. not. Attic. c. 1.*

(16) *Cicer. epi. ad Bru.*

(17) *1. aut damnatum, §. hostes, & §. quicumq. l. capit. in princip. & in §. famosos, & §. qui ob inimicitias. l. ad bestias D. de poen. l. 2. C. de falsa mon. cū latē traditis ab Alex. 3. gen. 5. Calio 1. lect. cap. 5. Valerio Max. lib. 9. c. 2. Petr. Fab. 1. sem. cap. 18. Petr. Greg. lib. 34. Syntag.*

(18) *I rescriptum. 6. de his quæ vt indig. Meno. quæst. 90. nu. 38.*

(19) *Pytag. refert Laertius in eius vita.*

(20) *Pli. in proem. lib. 7. Iuv. satyr. 13.*

*lib. 7. Iuv. satyr. 13.*

*lib. 7. Iuv. satyr. 13.*

*lib. 7. Iuv. satyr. 13.*

*lib. 7. Iuv. satyr. 13.*

*lib. 7. Iuv. satyr. 13.*

*lib. 7. Iuv. satyr. 13.*

*lib. 7. Iuv. satyr. 13.*

*lib. 7. Iuv. satyr. 13.*

*lib. 7. Iuv. satyr. 13.*

*lib. 7. Iuv. satyr. 13.*

quòd puerum comedisset. Quin & Plinius (13) autor est, *Polubium cum Scipione in Africa, leones homicidas crucifixos vidisse, quia ceteri metu poena similis, absterrentur eadem noxa.* Et quod plus est, cædes ab inanimatis factas Athenis in Prytaneo iudicatas testatur Demosth. contra Aristocr. Et statua Niconis, autore Suida, quòd ruens hominem vivum oppressisset & extinxisset, rea cædis ab interempti heredibus acta, damnata, & in mare demersa est. Quod non prorsus à ratione abesse considerat Fornerius. (14) Ergo cùm (vt apud Agellium (15) Sextus Cecilius dicebat) *Acerbitas vlciscendi maleficij, benè atque cautè vivendi disciplina sit,* & vt Cic. (16) inquit: *Salutaris severitas vincat inanem speciem clementie,* quid mirum si perfractos hominum mores leges compescant? & in eos ultore gladio consurgant, qui non minus exemplo quàm peccato nocent? Quid si flammæ, cruces, bestias, & atrociora interdum supplicia minentur? (17) Quid denique si poenæ quæ delictis semper debet esse conformes, (18) auctis sceleribus augeantur? cùm sapienter hoc sicut cetera Pythagoras (19) dixerit: *Eos qui malos non puniant, vel le bonis iniuriam inferri.* Et cùm aliter Reipub. salus consistere nequeat, hominibus in homines, ferrum, venenum, & insidias quotidie parantibus, & à concordia, quam bruta semper inter sua genera servant, desciscendentibus, vt optimè post Plin. Iuvenalis (20) deplorat.

*Sed iam serpentum (inquiens) maior est concordia: parcat*

*Cognatis maculis similis fera. Quando leoni*

*Fortior eripuit vitam leo? quo nemore vnquam*

*Expiravit aper, maioris dentibus apri?*

*Indica tygris agit rabida cum tygride pacem*

*Perpetuam: sævis inter se convenit vrsis,*

*Ast homini ferrum lethale, &c.*

Vno itaque ex homine, plurima homini sunt mala: vnus adeò præceps in omnia flagitia fertur, vt parentibus ipsis (quibus Platone (21) testante, nullum apud Deos magis honorandum simulachrum inveniri potest) non parcens, ita atrox, horrendum atque immane scelus invenerit, vt quamvis in eo puniendo prudentissimi quique legum latores in-

vigilaverint, nunquam tamen dignas tanto maleficio, & tam perniciosi exempli crimine, reperire potuerint pœnas. Nam vt eleganter Cicer. (22) *Si id quod præclare à sapientibus dicitur, vultu laditur pietas, quod supplicium satis acre reperietur in eum, qui mortem obtulerit parenti, pro quo mori ipsum, si res postularet, iura divina atque humana cogebant? Nemo igitur miretur, si novo delicto novam & inauditam Romani pœnam excogitaverint. Nemo culleum, verbera, & serpentium cõtubernia queratur. Nemòque, vt Cic. (23) inquit, Parricidæ supplicio misericordia commoveatur. Nam neque faciliori pharmaco, potuit huic morbo mederi, & quos natura ipsa in officio retinere non valuit, ij magnitudine pœnæ, maleficio submoveri debuerunt. Et, Platone (24) teste, si possibile esset, sapius aliquem mori, iustissimum esset sapius parricidam occidi. Præsertim cùm verissima sit illa Maximiliani Imp. (quam refert Mantua) (25) sententia, à quo cùm pro quibusdam, quos rotæ supplicio affici iusserat, aulici quidam, vt mitiùs plecterentur contenderent, nusquam tamen id impetrare potuerunt, quòd diceret, multos homines barbaros & insolentes, non mortem, sed mortis genus formidare solere. Et vt præclare Symmach. ait: (26) *Tantum denuò legibus severitatis addendum est, quantum flagitia creverunt.**

(22) Cic. in orat. pro Rosc. Amer.

(23) Cic. 4. Tuscul.

(24) Plato dialog. 9. de legibus.

(25) Mant. singul. 16. nu. 3.

(26) Symmach. lib. 2. epist. 13.

CAPVT TERTIVM.

*De parricidij nomine, & orthographia. Qui olim, qui hodie parricidæ dicantur? De parricidij quæstoribus, & eorum officio, & origine plura. Vulgata Pomponij l. C. lectio contra aliquorum emendationem asserta. Festus Pompeius ex Scæligeri sententia correctus.*



IS ita de huius severissimæ pœnæ imponendæ ratione generaliter prælibatis, antequàm specialem eius tractationem aggrediar, necessarium duxi, de parricidis acturus, ipsius nominis etymon in limine declarare. Olim igitur parricidæ, non hi modò, qui



(1) *Festus Pomp. in verbo Parrici.*

(2) *Plutar. in Romul.*

(3) *Baldwin. ad Il. Rom. c. 11. Iust. Lip. ad leg. Reg.*

(4) *Festus vbi sup.*

(5) *Briffon. libr. 2. de form. pag. 154 Ravard. ad. Il. 12. tab. c. 3.*

(6) *Refert Baldwin sup. Barb. Zanclus in annotat. ad Sallust. p. 46.*

(7) *Ita scribit Brisson. sup. & li. 14. de verb. sign. & Petr. AERod. lib. 8. rer. iudic. tit. 6. Et Duaren. ad tit. ad l. Pomp. de parr. per abusu litteram r. geminam tradit, quod probat etiam Eguius Varo in §. alia de pub. iud.*

(8) *Cicer. 2. de legibus. & exornat. novis. Ant. Clarus Silvius ad Il. xij. tab. c. 18.*

(9) *Ascon. Pædia. l. Verri.*

(10) *Festus supra.*

(11) *Pomp. in l. 2. §. deinde cum ararium, de orig. iur. Fenest. de magistr. Rom. lib.*

qui parentes vita privassent: sed & qui qualemcumque hominem occidissent, appellabantur: quod & Festus Pompeius testatur, (1) & Plutarch. (2) dum scribit, Romulum homicidium omne vocasse parricidium; nèque de eo, qui patrem occidisset aliam tulisse legem: quod illud impium, & nefarium, hoc impossibile iudicaret. Quin & lege Romuli idem satis aperte significatur, quæ, ut Baldwin. (3) & Iustus Lipsius ostendunt, his erat verbis concepta, *Parricidas omnes capite puniunt.* Et alia Numæ Pompilij, quæ veluti in superioris interpretationem lata, ita (si Festo (4) credimus) scripta erat: *Si quis Hominem liberum dolo sciens morti duit, parricida esto.* Quo eodem sensu lege Tribunitia prima, quam Briffon. (5) & Ravardus referunt, cavebatur. *Si quis eum, qui eo plebiscito Sacer sit, occiderit, parricida ne sit,* id est homicidij crimine non teneatur. Vnde non improbabilis videtur eorum (6) sententia, qui inde Parricidam dictum existimant, quasi qui parem, hoc est alterum hominem occiderit. Neque ratio scribendi quorundam, (7) qui *Parricida & parricidij*, nomina, simplici tantum r. pingere solent, & pronunciare. Quamvis ego præstantissimos alios viros sequutus, receptam, & veterum librorum exemplis probatam orthographiam immutandam non censeam. Sed & quod parricidæ antiquissimis istis legibus, quarum mentionem habuimus, capite puniri cœpissent, in causa etiam fuit, ut parricidæ appellatio, translative ad eos omnes extenderetur, qui crimina, capitali supplicio vindicanda, patraissent. Nam, & quadam lege xij. tab. cuius verba Cicer. (8) refert, ita cautum erat. *Sacrum, sacrove commendatum, qui clepserit, rapservitve, parricida esto.* Et eos, qui ut capitalibus quæstionibus præessent, eligebantur, generaliter quæstores, sive ut Asconius (9) ait, quæstores parricidij vocarunt. Inde Festus (10) Pompeius, *Parici quæstores appellabantur* (inquit) *qui solebant creari causa rerum capitalium quærendarum,* & Pomponius (11) & Fenestella quæstores a populo constitui solere tradunt, *qui capitalibus rebus præessent: qui appellabantur quæstores parricidij, quorum etiam meminit lex xij. tab.* Quo in loco Pomponij, legendum quidam

ex Festo *parici*, non *parricidij* arbitrantur, & hos quæstores paricos dictos fuisse sibi persuadent. Contra quos tamen eruditissimus Iosephus Scaliger, <sup>(12)</sup> omni opere vulgatam lectionem retinendam, quin & apud Festum etiam repouendam, contendit. Rursus, quam laudat, Pomponius xij. tab. legem, nullibi reperiri, præstantissimus Iacob. Cuiac. <sup>(13)</sup> advertit. Et verò constat, multis, post reges exactos, & receptas xij. tab. annis, in emergentibus causis capitales istos quæstores creari. Livius <sup>(14)</sup> namque scribit, anno ab vrbe condita CCCXL. plebem Cossu, & Medullio consi. Posthumianæ cædis quæstionem, de populi consensu mandasse. Et apud eundem, <sup>(15)</sup> aliquot post annos Capuæ de occulta quadam principum coniuratione, Dictatorem quæstionibus exercendis C. Mævium dici placuit. Quinctium quoque Terentium, anno ab vrbe condita DLXVII. de pecunia Antiochi à Lucio Scipione capta, & coacta, ex Petillij rogatione quærere patres, eodem Livio <sup>(16)</sup> teste, iusserunt. Frequenter autem quæstores ipsi ex officio cognoscebant, ut Alex. ab Alex. <sup>(17)</sup> multis exemplis adductis ostendit, subdens eos lictorem, & viatorem habuisse, eorumque iurisdictionem, postea Triū. viros capitales sibi vindicasse, quod & alij etiam auctores <sup>(18)</sup> observant. Sed, & cum Cornelius Sulla, ut Pomponius <sup>(19)</sup> refert, quæstiones publicas de parricidio, & alijs criminibus constituisset, horum quæstorum numerum, ut facilius de fontibus pœnas exigent, ad viginti propagatum, Alex. <sup>(20)</sup> & alij commemorant. Verum enim vero, ut in viam ex diverticulo redeamus, licet olim ita latè Parricidij nomen pateret, postea tamen ut Priscianus <sup>(21)</sup> ait, qui patrem, aut matrem, vel aliam personam ex his, quæ appellatione parentum continentur, interfecissent, eo nomine notari cœperunt, licet per abusivam, ut Quint. <sup>(22)</sup> his verbis ostendit: *Et parricida matris quoque, aut fratris interfector; quod abusio est.* Inde Horatius <sup>(23)</sup> *Telegoni inga parricida*, & Cicer. <sup>(24)</sup> *Patrem, inquit, vita privare per se scelus est: Saguntini, qui parentes, quos liberos emori, quàm servos vivere maluerunt, vita privarunt, parricida fuerunt?* Divus quoque August. <sup>(25)</sup> *in ipsis, ait, par-*

<sup>(12)</sup> Ioseph. Scalig. in notis ad Festum, in parrici.

op. dil. vii. (70)

<sup>(13)</sup> Cuiac. d. l. 2.

(14) Livius decad.

1. lib. 14.

<sup>(15)</sup> Idem decad. 1. lib. 9.

<sup>(16)</sup> Idem decad. 4. lib. 8.

<sup>(17)</sup> Alex. 2. gen. cap. 2.

<sup>(18)</sup> Zaff. Cuiac. & alij d. l. 2.

<sup>(19)</sup> Pomp. d. l. 2. vers. deinde Cornel. de orig. iur.

<sup>(20)</sup> Alex. sup. vbi Tirag. in additio.

<sup>(21)</sup> Priscianus lib. 2. de ling. lat.

<sup>(22)</sup> Quint. lib. 8. inst. cap. 6. & Aciat. lib. 4. de verb. sign. in princ. & Charitius lib. 4. de Catachresi loquens, & Ioann. Bellon. de figur. iur. figur. 16.

<sup>(23)</sup> Horat. 3. car. od. 29.

<sup>(24)</sup> Cicer. in paradox.

<sup>(25)</sup> D. August. lib. vni. de patien.

(26) Cicer. pro  
Cluent.

(27) Livi. lib. 40.

(28) D. Hier. Epist.  
4. ad Rullicum, in  
capite in apibus 7.  
9.2.

(29) E. veluti de  
iust. & iur.

(30) Cicero. 2. Phi-  
lip.

(31) Brisson. lib. 2.  
de formul. pagin.  
256. & lib. 4. de  
verb. sign. & Tiber.  
Decian. 2. to. crim.  
lib. 9. cap. 5.

ricidijs, quanto propinquiores quisque peremerit, tanto iudicatur immanior. Interdum etiam ad fratrum interfectores hoc nomen, sed eum adiuncto porrigi coepit, Cicer. (26) in ipso fraterno parricidio nullum scelus praetermissum videtur. Livius (27) in ea caena dicitur venenum datum, poculo epoto exemplo sensit, & mox coortis doloribus in cubiculum recepit sese, crudelitatem patris conquerens, parricidium fratris; interdum & sine adiuncto, vnde Divus Hieronymus. (28) Imperator, inquit, vnus, iudex vnus provinciae, Roma vt condita est, duos fratres non tulit, & parricidio dedicatur. Nonnunquam etiam, quod patria, patriæque Principes paterna veneratione coli debeant, (29) qui in eos aliquid moluntur, parricidae appellantur. Sic Cicer. (30) Potest cuiquam vile esse foedissimum parricidium patriae. Sic Sueton. Valerius, & alij, quos plenè diligentissimus Brissonius (31) congescit, Cæsaris, & aliorum Romanorum Imp. interfectores, passim parricidas appellant. De quo tamen ego pluribus alio loco tractabo, nunc hæc adduxisse sufficiet, quibus ni fallor non ineptè expositum manet, latè patentem Parricidij appellationem, strictioribus terminis iam hodie conclusam, & vt plurimum parentum occisoribus applicatam.

## CAPVT QVARTVM.

Solonem, & Romulum nullas in parentum interfectores leges tulisse. Id merito factum, multis, & testimonijs, & exemplis ostenditur. Naturam ne suspicari quidem parricidium permittere. Leges facinora interdum, non tam prohibere, quàm admonere. Prohibitionem, & punitionem ad facinus invitare.



(1) Cicer. Pro Ros.  
Amer.

IRVM sanè videri non debet, proprio vocabulo parricidij nefas, olim apud Romanos caruisse, quippè in quorum mentes, vt Cicer. (1) ait, nunquam venerat, futurum aliquem vlllo seculo fore, qui tam immane facinus auderet, quod si quando auditum sit, portenti, ac prodigij simile numeretur. Atque inde Solon, qui

Athe-

Atheniensibus, & Romulus, qui Romanis leges scripserunt, nullam se peculiarem in parricidas legem tulisse, respondisse feruntur, (2) quòd non sperarent, quemquam, qui tam impium maleficium committeret, extiturum. In quo prudentissimum horum legislatorum iudicium merito Cicero (3) laudibus effert, cum de eo nil sanxerint, quod antea commissum non erat, ne non tam prohibere, quam admonere facinus viderentur. Leges namque, quibus boni non egent, malos, & suo pte ingenio in omne vitium labentes mortaliu animos, nihilo deteriores, vt Diogenes (4) dicebat, efficiunt: sed imo ad peccandum interdum alliciunt, & movent. Quod ostendere volens Apostolus, (5) legem quæ peccatum prohibeat, non dubitavit dicere, virtutem esse peccati: *Aculeus*, inquit, *mortis est peccatum: virtus autem peccati lex.* Verissimè omnino, nam vt D. August. (6) hæc Apostoli verba declarans, scribit: *Auger prohibitio desiderium operis illiciti, quando iustitia non sic diligitur, vt peccandi cupiditas eius dilectione vincatur.* Et fere semper frequentius ea videmus committi, quæ sæpius vindicantur, & maleficia antea non cogitata, nec cognita, ipsa quodammodo prohibitione & punitioe doceri, & instigari, vt in parricidij, de quo agimus, crimine vsu venisse Seneca (7) his elegantissimis verbis ostendit: *Pater tuus plures intra quinquennium culleo insuit, quàm omnibus sæculis insutos accepimus. Multò minus audebant liberi nefas vltimum admittere, quamdiu sine lege crimen fuit. Summa enim prudentia altissimi viri, & rerum naturæ peritissimi, maluerunt, velut incredibile scelus, & ultra audaciam positum præterire, quàm dum vindicant, ostendere posse fieri. Itaque parricida cum lege cœperunt, & illis facinus pœna monstravit: Pessimo loco pietas fuit postquàm sæpius culleos vidimus, quam cruces, &c.* Et herculè, quòd Solon, & Romulus parricidij crimen nunquam fieri posse censerent, atque ideo impunitum suis relinquerent legibus, non omnino exemplis carere videtur. Nam & Licurgus nullam aduersus adulteros Lacedæmonios legem scripserat, cuius rei causam Spartanus quidam interrogatus, respondit, vt Plutarch. (8) recenset, minimè existimasse Licur-

(2) Cicero pro Roscio Plur. in Romulo Plut. Orosius lib. 5. cap. 16. Diog. Laert. in Solone.

(3) Cicero super veris prudentissima.

(4) Diogenes in eius vita.

(5) Paulus ad Corin. c. 15. in fine. Vide eundem ad Rom. cap. 7.

(6) D. August. lib. 13. de Civitat. Dei. cap. 5.

(7) Seneca lib. 1. de Clem.

(8) Plutarch. in vita Licurg. & in apophteg. Lacon.

(9) Herodot. in  
 Clio Ioan. Stobæ. ser-  
 mone 44. vnde, &  
 hanc præsumptio-  
 nem nonnulli ex  
 nostris iuris auto-  
 ribus probant, vt  
 constat ex Tiber.  
 Decian. 2. to. crim.  
 lib. 9. cap. 6. num. 2.  
 (10) Valer. Maxim.  
 lib. 5. c. 9. in fin.

gum, Spartæ aliquod adulterium posse contingere. Et Per-  
 ta, vt Herodotus, (9) & Ioannes Stobæus affirmant, adeo  
 incredibile esse existimabant, quemquam in id sceleris, &  
 audaciæ præsumere, vt parentes, à quibus vitam accepit,  
 vita privaret, vt parricidam, pro notho, & spurio habendū,  
 suis legibus sanxerint, rati legitimam sobolem nihil posse  
 in perniciem parentum moliri. A quibus non longè abfuis-  
 se pater ille videtur, cuius extat apud Valerium (10) histo-  
 ria, qui eum à filio neeti sibi insidias comperisset, nec indu-  
 cere in animum posset, vt verum sanguinem ad hoc sceleris  
 progressurum crederet: filio in desertum locum perducto,  
 gladium quem secum attulerat tradidit, ac iugulum ferien-  
 dum præbuit, nec veneno, nec latrone ei ad peragendum  
 parricidium opus esse, affirmans. Quo facto non paullatim,  
 sed magno impetu recta cogitatio pectus iuuenis occupavit,  
 continuoque abiecto gladio, *Tu vero, inquit, pater vive, &  
 si tam obsequens est, vt hoc precari filio permittas, me quoque  
 exupera, sed tantum quaeso, ne meus erga te amor eò sit vilior,  
 quod à penitentia oritur.* Qui sanè omnes iustissimè id sibi  
 persuadere potuerunt, nam vt Cicer. (11) eleganter scri-  
 bit: *Profecto res tam scelestæ, tam atrox, tam nefaria credi non  
 potest: magna est enim vis humanitatis: multum valet commu-  
 nio sanguinis: reclamitat istiusmodi suspicionibus ipsa natura:  
 portentum atque monstrum certissimum est, esse aliquem hu-  
 mana specie & figura, qui tantum immanitate bestias vicerit,  
 vt propter quos hanc suavissimam lucem aspexerit, eos indig-  
 nissimè luce privarit: cum etiam feras inter sese partus,  
 atque educatio, & natura ipsa*

(11) Cicer. pro  
 Rosc. Amer.

